



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Septem Illustrium Virorum Poemata**

**Amstelodami, 1672**

Ad Villam Perettam In Agro Tusculano, Cùm Flavius Chisius S. R. E.  
Cardinalis lentâ inibi feбри detineretur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11215**

A D

ALEXANDRUM VII.  
PONT. OPT. MAX.*Incunte Pontificatus anno quarto.*

**N**on indigna Tui canerem nunc, Maxime Princeps,  
Sed cohibet iustus me, retinetque pudor.  
Nam recolens lucem, TIBI quæ dedit Orbis habenas,  
Natalem celebrat nostra Thalia fium.

A D

VILLAM PERETTAM  
IN AGRO TUSCULANO,*Cum Flavius Chisius S. R. E. Cardinalis lentè  
inibi febris detineretur.*

**V**illa decus Latiae telluris, candida Villa,  
Credita cui domini vita salusque mei;  
Salve ô deposito felix, & pignore tanto  
Factura egregiis urbibus invidiam.  
Quòd si quàm felix, si quàm formosa vocaris,  
Vis quoque tam nobis dicier esse pia;  
Redde illum precibus tandem mitissima nostris,  
Et Romæ assiduis vocibus incolumem.  
Spes fuit, his Juvenem recreatum dulcibus auris  
Non multos intra posse valere dies.

Urbis



Urbis propterea grave murmur , & aëra lentum  
 Deferuit , cœlo posthabuitque tuo.  
 Irrita ne facias quæ tu sperare jubebas ;  
 Sed fac quod medicæ non valuere manus.  
 Omnia præsidia , atque artem consumsimus omnem :  
 Morbi evellendi nulla relicta via est.  
 Secta bis ardentem venis fudere cruorem  
 Brachia , nec pedibus sæva pepercit acus :  
 Non tamen idcirco penitus deserbuit ardor  
 Indomitus : per enim viscera serpit adhuc.  
 Omnes experti succos , quos Appula tellus ,  
 Pinguibus & venis India dives alit ;  
 Non tamen Appuliæ , nec quos alit India succos  
 Attulerunt , ægrum quæ relevaret , opem.  
 Nil non tentatum nobis : nil profuit ægro :  
 Quæque juvat cunctos , huic fuit herba nocens.  
 Hæret adhuc siccis vis morbi infixæ medullis ,  
 Nescius & stomacho cedere languor iners.  
 Jamque dies illum decies , heu ! quinque jacentem  
 Lectulus ingrato detinet hospitio.  
 Scilicet est illi sedes invisa quietis ,  
 Pluma gravis misero est , ipsaque dura quies.  
 Nos verò interea , FlavI cum posceret ægri  
 Lapsa valetudo publica damna queri ,  
 Colle super viridi , nigraque sub ilice lenti  
 Ludimus imparibus carmina juncta modis.  
 Et nunc insidias avibus , nunc tendere damis ,  
 Nunc juvat Albanos currere lintre lacus.  
 Ire nec aërii piget ad fastigia montis ,  
 Unde humiles terras cernimus , & maria.  
 Sæpè suburbanas amor est lustrare ruinas ,  
 Quæque jacent veterum tot monumenta virum.



Atque hinc obliti curarum, Urbisque laborum,  
 Dicimus: O hominum gloria, spesque breves!  
 Vivamus dum fata sinunt, dum sanguis & ætas  
 Firma: venit celeri cana senecta pede.  
 Inde super mensâ discumbitur ordine longo,  
 Et loquimur multo libera verba mero.  
 Me tamen hæc inter domini languentis imago  
 Admonet in magnâ vivere tristitiâ;  
 Nec tantum precibus Divos onerare, sed ipsis  
 Ferre jubet faxis vota precesque dolor.  
 Tu nostro, tu, Villa, precor, succurre dolori:  
 Iftic jam luces bis jacet ille novem.  
 Pallor eat, maciesque omnis procul, & mala febris  
 Desinat alterno corripere ossa gelu.  
 Fac redeat pedibusque vigor, sensusque palato,  
 Occupet & totâ lumina nocte sopor.  
 Fac revocent vires excusso membra veterno,  
 Floreat & læto pristinus ore color.  
 Sic tibi ne pinguem lædant mala gramina messem,  
 Nec timeat ficos vinea culta dies.  
 Sic quæ perpetuè velat nebula improba Romam,  
 Exulet æternum finibus illa tuis.  
 Sic tristes hiemes, & scetos grandine nimbos  
 Jupiter intactis arceat arboribus.  
 Sed, cum opus est, placidum demittat ab æthere, sensim  
 Qui sole arentem temperet imber humum.  
 Ipsa tuos colles vivaci Pallas olivâ  
 Vestiat, & Baccho certet amica Ceres.  
 Quique coloratos reditum meditatur ad Indos  
 Pomorum nullo vinctus honore caput,  
 Hinc legat Autumnus semper sibi poma, suasque  
 Conferat huc omnes fertilis annus opes.



Præterea si fama tibi, si gloria cordi est,  
 Villarum fies tu quoque nobilium.  
 Nam tibi munera læta, tibi annua sacra feremus  
 Instructi citharâ, carminibusque sacris.  
 Huc ego cum Musis Parnassia templa potenti  
 Carmine traducam, Pieriosque lacus.  
 Hic edera surgent, hic laurus digna Poëtis,  
 Hæc se victores cingere fronde volent.  
 Tunc tibi Telegoni cedet locus omnis, & udo  
 Quotquot spectantur Tibure delicia.  
 Cedet & ipsa Paphos, semperque virentia Tempe,  
 Et fies hortis notior Alcinoi.

A D

FELICEM ZACHIAM,

*In funere*

NATALIS RONDININI FILII.

*Ex Albano secessu.*

S Ecretæ nemorum valles, mutique recessus,  
 Et deferta loca, & taciturna querentibus antra,  
 Quæ priscos habitasse ferunt (& credere dignum est)  
 Mortales, sine lege pios, sine messe beatos,  
 Accipite hos ægro proruptos pectore questus,  
 Quos pietas, quos æger amor, luctusque requirunt.  
 Et vos frondoso surgentes vertice fagi  
 Me finite, erepti lugentem funus amici,  
 Illius æternum vestris incidere nomen  
 Corticibus: meus hîc saltem, dum stabitis, unâ

E 5

VI